

21

Aureli, pater esurionum,
 non harum modo, sed quot aut fuerunt
 aut sunt aut aliis erunt in annis,
 pedicare cupis meos amores.
 nec clam: nam simul es, iocaris una,
 haerens ad latus omnia experiris.
 frustra: nam insidias mihi instruentem
 tangam te prior irrumatione.
 atque id si faceres satur, tacerem:
 nunc ipsum id doleo, quod esurire
 †me me † puer et sitire disset.
 quare desine, dum licet pudico,
 ne finem facias, sed irrumatus.

22

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
 homo est venustus et dicax et urbanus
 idemque longe plurimos facit versus.
 puto esse ego illi milia aut decem aut plura
 perscripta, nec sic, ut fit, in palimpseston
 relata: cartae regiae, novi libri,
 novi umbilici, lora rubra membranae,
 derecta plumbo et pumice omnia aequata.
 haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
 Suffenus unus caprimulgus aut fossor
 rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.
 hoc quid putemus esse? qui modo scurra